

Fragmentum Suetonianum de maris ac fluminum partibus,

emendatum atque annotatis illustratum

ab

Hermanno Langensiepen Montano.

Exstat inter fragmenta Suetoniana locus, quo de aquarum generibus exponitur, admodum ille quidem depravatus. Ministrat nobis poetica quaedam fragmenta non contemnenda obque id ipsum est memorabilis. Cetera enim, quae sistit, aut vulgaria sunt ac trita, aut pridem exhibita a Verrio et huius utroque pedisequo. At non indignus erit, in quo acumen exerceas, quamquam id noluisse videtur summus Wolfius. Nec multum salutis huic fragmini, quod Isidoro debemus, Muellerus attulit, qui in calce Festi repetiit Wolfiana, aliquot emendationibus substructa. Wolfius autem in extremo suo Suetonio titulum loco praefixit huncce: *Hoc excerptum ex libro ms. de natura rerum retulit Oxonio Iac. Gronovius.* Sequuntur titulum ipsa foedissime corrupta verba. Mera enim ac sola fere adsunt verba, non, quas vocant, enuntiationes. Sed, ut in medias res lectorem raperem, subieci tale illud fragmentum, qualecumque emendatrice mea manu evasit.

De omnibus, ait fragmenti conservator, maris ac fluminum partibus in Variis rebus Tranquillus sic ait: 1. Externum mare Oceanus, internum, medio quod ex Oceano fluit, supernum et infernum, quibus Italia alluitur. Exteris superum Adriaticum dicitur et Tuscum inferum. 2. Fretum in angusto quasi fervens mare, ut Siculum et

Gaditanum. Aestuaría sunt stagna, per quae mare vicissim tum accedit, tum recedit. 3. *Altum* proprie mare profundum. *Vada*, quibus in mari potest stari, quae Virgilius brevia appellat, quae eadem Graeci βράχεια. 4. *Sinus* maiores recessus maris dicuntur, ut Caspius, Arabicus, Issicus. *Maiores autem anguli*, ut Paestanus, Ligusticus, Amulclanus et similes, nomina maris duxerunt. 5. *Flustra* motus maris sine tempestate fluctuantis. Naevius in bello Punico in descriptione quadam ait:

Oneráriæ onústæ stábant in flústris,
ut si diceret in salo. *Moles aquae eminent et prorumpunt mari*, de quibus Pacuvius ait:

'Omnes latebras sibiit atque mólum abstrusós sinus.
Caecus fluctus tumens, necdum tamen canus, de quo Atta in togata sic ait:

'*Illi in populo flictus caecos faciunt per discórdiam,*
et Augustus ita: *Nos venimus Neapolim fluctu quidem caeco.* 6. *Litus*, quidquid aqua alluitur. 7. *Flumen* omnis humor, qui vel modice fluit. *Torrens fluvius*, qui a pluvia crescit, siccitate torrescit, id est arescit, de quo Pacuvius ait:

Flámneo vapóre torrens tórret.

8. *Ostia exitus fluminum in mare.* Tullii aquarum proiectus, quales sunt in Aniene flumine, quoniam se maxime praecipitat.

Haec Suetonius Tranquillus. Quae octo particulis distinxit, ut singula facilius internosceres. Sex enim prioribus segmentis de mari (1) eiusque de turbulentia (2), altitudine (3), recessibus (4), undis (5), limine seu margine (6), duobus reliquis de fluminibus (7) eorumque partibus (8) disputatur. Quamquam in omnibus imperfecti aliquid et, ut ita dicam, frustulenti abruptique cernitur. *Annotata* autem haec subiunxi, ut de meis emendationibus certiores facerem legentes, quos reliquam scripturae discrepantiam, non gravem aut largam tamen, a Wolfio et Muellero petiuros esse, si tota res curae eis erit, confidam.

Primum igitur, quamvis non magni momenti sint verba eius, qui Suetonii hunc foetum posteritati tradidit, recte tamen illa refecisse mihi videor. Nam quod Muellerus scribi voluit *De nominibus maris ac fluminum imprimis in Annalibus Tranquillus sic ait*, non placet *nominum* notio, quum *partes* potius maris ac fluminum percenseantur, quam multae eorum denominationes appareant. *Mare et fretum, flumen et torrens* sunt sola, quod sciam, in hoc fragmento nomina maris ac fluminum. Habet praeterea codex *omnibus* et pro *imprimis* praebet *inpratis*, unde *partibus* ego erui: exhibet tamen etiam *Annalibus*. At quis credat, tam ineptum fuisse Suetonium, ut in chronicum quoddam suum intruserit istiusmodi grammaticam quaestionem? Rescripsi igitur *Variis rebus*. Commemorat autem opus illud Suetonianum, cui *Variae res* titulus fuit, Sosipater Charisius (II. 210.), non obscure significans, illud grammaticas potissimum disquisitiones prae se tulisse. Sed de his Isidorianis satis. Ipse succedat Suetonius.

1. *Externum*, non, quod offert codex, *extremum* esse ponendum, et totius loci ratio docet suadetque Florus (IV. 2. 76.) in his: *Adde mare et intestinum et externum. Internum* mare memorat Plinius maior (II. 68.). *Medio* ego restitui, codex *medius*, unde *medium* Muellerus. Non recte. Nam nec mediterraneum nec medium ullus vetus auctor *nostrum* mare nuncupavit. Quod enim Isidorus in Originibus (XIII. 16.) *mare mediterraneum* vocat Oceanum terris interiectum, inde hercle colligi non licet, *internum* quoque mare ita a veteribus vocandum fuisse. *Supernum* deinde et *infernum* eodem iure reliqui, quo *externum* reposui. Debet responsionem membrorum scriptor servare, quamquam deinde statim vulgaria *superi* et *inferi* maris nomina ponat. *Infernum* mare dicit Lucanus in secundo (400.) Tum *Exteris* ego, codex *ex his*. At, quum *ex his* hoc loco ad duo tantum referatur, vel *alterum — alterum*, vel *illud — hoc*, non *superum — inferum* dicendum fuit. Ante *Adriaticum* codex inculcavit et, quod omisi. 2. *Fretum in angusto* ego, codex *fretum angu-*

stum. *Stagna* ego, codex *omnia*, quod hoc quidem loco insulsum est. 3. *Altum vadis* opponitur hic, ut apud Tacitum (I. 70. 2.) in *Annalibus brevia profundis*. Idem *brevia litorum* dicit in iisdem libris (VI. 33. 5.). *Τὸ τέναιος vadum* est, *βράχη brevia*, siquidem *τὸ βράχος breve* est. 4. *Issicus* ego, codex *Indicus*. At *Indicum Oceanum* quis dicat *sinum*? *Caspicus* autem sinus non est ipsum mare Caspium, sed eius pars meridionalis, testibus Plinio maiore (II 68.) et Mela (I. 3.). Mox *Ligusticus* ego, codex quam maxime potuit corrupte *Matrestae*, unde *Tergestae* eruit Muellerus. At saltem *Tergestinus* dicendum fuit. Sed ne hic quidem aptus. Vult enim significare Suetonius, maiores maris angulos dici *maria*, quod ego in Tergestinum sinum, Adriatici maris recessum, nego quadrare. Videlicet hoc interest inter sinum et angulum, quod ille arcius et plenius circumiacente terra clauditur, hic obtusior et magis patens est. Quamquam vulgo terrarum tantum anguli commemorantur, ut *Bruttius angulus* apud Florum (III. 20. 13.), quem idem extremum Italiae angulum (II. 6. 51.) cum Livio (XXVII. 51.) appellat, nec quisquam unquam *angulus Paestanus vel Amuclanus* dixerit. Iccirco igitur Suetonius: *Anguli maiores*, inquit, *maris nomina duxerunt*, id est acceperunt. *Duxerunt* ego, codex *dixerunt*. Sic *ducere* colorem, situm, cicatricem, notam et similia pro *attrahere*. *Maris* autem relinquendum, nec *marium* scribendum: sufficit quippe (*nomina* dico) *unus* pluralis numerus. Ceterum horum trium *marium Amuclanum*, propter Latii oram inferiorem effusum et *mare* appellatum a Tacito in *Annalibus* (IV. 59. 2.), minimum est omnium, sequitur *Paestanum*, Paesto, Lucanorum oppido, obiacens, quod cum Vibonensi sinu memorat Cicero in epistola quadam ad Atticum (XVI. 6.), maximum denique est *Ligusticum*, quod memorat Plinius maior (III. 6.). Magnam lacunam deprehendit Muellerus, ita scilicet locum refingere sibi visus: *Maiores autem anguli, ut Paestanus, Tergestae, Amyclanus et similes, * quum sinus dici coepti essent, magnos illos sinus * no-*

mine maris dixerunt. 5. *Flustra* in mari temperato iugiter, *moles aquae* seu *aquarum* interdum hic illic in eodem, *caeci fluctus*, id est decumani non spumosi, in inquieto existunt. *Caecus* autem fluctus tumet quidem, sed nondum canet seu spumat. Spuma enim caeca non est, sed bullulis suis oculata quasi videtur esse. *Flustra* unus, quantum scio, commemorat Tertullianus in Pallio suo (2.) et explicat Paulus Diaconus, quamquam minus recte ea in malacia adesse dicit. Rectius omnino Tertullianus tranquillitate probum, temperatum flustris ait esse mare. *In descriptione quadam* reposui apud Suetonium, quum codex *in inscriptione quod* habeat, quae verba et rationi et nexui repugnant. In Naevii autem Saturnio offensionem esse nec hiatus potest in priore parte versus, nec in posteriore suppressa thesis. *Moles aquae*, codice *moles quae* praebente, ideo rescripsi, quod, ubicumque moles memorantur, additur *aquae, aquarum, undarum*, simile quiddam. Confer Drakenborchium in Sillii Pun. lib. III. 46. Ad hoc, si *moles, quae* relinquis, durius ac nimis impeditum est, explicandi causa substituere et inserere *sunt ea, quae*, cetera. *Prorumpunt* vero pro *procurrunt*, codicis scriptura, supposui re ipsa postulante. Nam procurrunt ea tantum, quae in longinquum sese promovent: moles tamen Suetonius erumpere ac prorumpere mari vult dicere. Nec *e mari* scribere est opus, dum, quando *procurrunt* tueris, *in mari* posuisse Suetonium tibi contendendum relinquitur. Dicitur enim *obsessorum multitudo portis prorupisse* a Tacito in Historiis (IV. 34.) et ab eodem *praediis incendium* in Annalibus (XV. 40.). Porro illum Pacuvii versum trochaicum quadratum eo mihi restituisse videor, quod pro depravatis *sublaetu mole abstrusas* posui *subiit atque molium abstrusos*. Sermo autem fuit in hoc versu de maris quocumque incola sive deo, sive ceto, qui quaerendi amissi cuiuslibet causa omnia maris abscondita perscrutabatur. Moles autem *sinuosae* dicuntur, quod curvantur cavanturque, dum arcuatim attolluntur. Deinde *tumens* ego, codex *tamen*, quod etiam statim, suo tamen loco,

repetit. Tum ad quadratum Altae versum resarciendum addidi ab initio *Illi in*: particula enim non facile hoc loco caremus. Verba enim facit poeta de vulgi concitatoribus deque turbis tumultuosarum concionum, ubi, alio aliud volente aliique favente, huc illuc discurritur populique congeries movetur et quasi fluctuat. 6. *Litus* est maris, *ora* terrae pars. 7. *Torrescendi* verbum legitur etiam apud Lucretium (III. 903.). *Flammeo vapore torrens torret*, ait Pacuvius, id est torrens fluvius flammeo solis fervore torretur atque exsiccat. *Torrere* enim etiam pro *torreri* dici, apparet e Columella et Livio, quorum ille torrentem collem (X. 4.) et terram (IV. 19.), hic militem (XLIV. 38) commemorat. Noli vero hoc Pacuvianum fragmentum cum illo Antiopae Pacuvianae versu confundere, quem citat Festus in hisce: *Torrens participialiter pro exurens ponitur, ut est apud Pacuvium in Antiopa*:

Flammeo vapore torrens terrae foetum exusserit. Hic enim torrens non est fluvius, sed fortasse sol, qui terram calore suo deurit ac fruges torret. 8. *Tullii* videntur esse velut clivuli aquarum, qui in fluviis rapidis et aspero alveo praeditis exoriri solent ac per totam faciem continenter surgere. Haec est, quam dicit Festus, *aqua arcuatim fluens eiusque vehementes proiectiones.* Sed Festi locus quum non leviter corruptus exstet, gratum fortasse nonnullis fecero, quod eum mea ope emendatum subicci:

Tullios alii dixerunt esse silanos, alii rivos, alii vehementes proiectiones sanguinis aut aquae arcuatim fluentis, quales sunt Tiburi in Aniene. Ennius in Aiace:

Animam mistum sanguinem tepidum tullii efflantes volant.

In haec ego immisi *aut aquae*, sine quo nimirum illud, quod sequitur: *quales sunt Tiburi in Aniene*, prorsus absurdum foret. Gravior tamen est praeclarus ille versus Ennius, qui usque adhuc miserrime foedatus iacuit. Ecce enim codicis scripturae:

Aiax misso sanguine tepido t. effl. v.

In his iam Hermannus pro *Aiax* posuit *Animam*. At tullii,

iam misso sanguine, volare sane non possunt, quum ipsi constant e sanguine. Rectior igitur talis est versus, qualem supra exhibui. Omnino autem magnificentissimus censendus erit. Sanguis cum anima simul erumpit eiusque volant tullii. Omisit Paulus Diaconus illud *Anima mistum* et, quae restant, sola exhibet: unde intelligitur, si, ut voluit Hermannus, tam necessarius accusativus casus affuisset, qualis est *animam*, Paulum Diaconum, quamquam doctissimorum doctissimus non fuit, tamen adeo ineptum non fuisse futurum, ut *animam* praetermitteret. Quae res meam coniecturam etiam confirmat. Reponendum igitur in Diaconi excerptis erit:

Sanguen tepidum tullii efflantes volant.

Ad etymologiam autem quod attinet, tullii videntur dicti a *tollendo*, quippe qui assidue per fluminum superficiem sese attollant. Erunt igitur etiam, qui Ciceronem, dum eum in astra tollunt, verum Tullium esse dicant. At, amoto lusu, ut seria quaeramus, expressus quidem, maiore tamen cum spiritu elatus ac speciosior est versus Ennianus, quam illud, quod apud Sophoclem Teucer, fratrem sepulchurus, ad eius filium ait:

Ἐτι γὰρ θερμαὶ σύριγγες ἄνω
Φυσῶσι μέλαν μένος.

Hunc enim ipsum locum Ennio ob oculos versatum esse, apparet vel ex illo *tepidum sanguen*, quod profecto non de Aiace sese interficiente, sed de extincto iam eo dixit. Denique, ut ad Suetonium redeamus, codex exhibet *quam se maxima praecipitio*, quae verba corruptissima converti in haec: *quoniam se maxime praecipitat*. Videtur enim totus Anien seu Anio rapidissimus fuisse, nec opus est, ut, ad Verrium imitandum, cum Muellero ad huiusmodi supplementum confugiamus: *qua se maximo praecipitio in agrum Tiburtinum demittit*. non enim credo Muellero, qui hoc nostrum fragmentum olere Verrium contendit. Constat scilicet, Verrium literarum, non, ut hic facit Tranquillus, rerum ordinem seculum esse.

Tantum est. Si quae leviora praeterii silentio, facile hinc excusabor, quod potiora quaevis tetigi. Fortasse in multis erravi: homo sum. Tu vero, lector candide, hanc subitanam ac temerariam quodammodo scriptionem aequi bonique consule. Scribebam Bonnae circa Idus Martios MDCCCXXXIII.
